

pentiremem unam, triremes duas, dicrora octo, complu-
res remiges Octavianos. Cæsar ipse in tertio De bello
ciuili, biremes dixit, his uerbis: Quatuor biremes subie-
ctis scutulis, impulsas uectibus in interiorē partem trās-
duxit. Liuius Decadis tertię libro quarto: Legati ab Ori-
co ad M. Valerium prætorem uenerunt præsentem
classi Brundusio, Calabriaꝝ circa litoribus, nuntiantes
Philippum primū Apolloniam tentasse leuibus bire-
mibus centum uiginti, flumine aduerso subuectum: de-
inde, ut ea res tardior spe fuerit, ad Oricum clam nocte
exercitum admouisse. Tullius in Verrem actione septi-
ma: Reprimebat enim tibi & imperandi uim & rogan-
di conatum præclara illa non populo Romano reddita
biremis, sed prætori donata cybea. Tranquillus in Iulio
Cæsare: Nauali prælio in modum cochleæ defosso lacu
biremes ac triremes quadriremesq; Tyriæ Ægyptiæq;
classis magno pugnantium metu conflixerunt. Biremes
autem leues dictæ à Liuiō in loco suprā scripto, à Roma-
nis dicebantur Liburnicæ, si Appiano credimus in Illy-
rico, ἐγγύοντο λίβυρνοι γὰρ ἐπὶ τὸν Ἰλλυριῶν, οἱ τὸν ἰώνιον καὶ
τῆς νήσου ἐλυσίου ναυσὶν ὠκείαις τὲ καὶ κενύφαις, ὅθεν ἐπὶ ναῦ
ῤωμαῖοι τὰ κενύφα καὶ ὀξεία δίκροτα, λιβυρινίδας πλοκαγορδύσση.
idest, fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Io-
nium mare & quæ in eo sunt insulas prædabantur cele-
ribus & leuibus nauigiis, unde etiam nunc leues & cele-
res biremes Romanis Liburnicæ uocantur.